



Nr. 14

48

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
DECIMA,
DE
SPECIE SECUN-
DA ET TERTIA
JUSTIFICATIONIS,

QVALEM

VIR CLARISSIMUS,
PETRUS POIRETUS,
αντιγράφως CONFINIXIT:

QVAM.

IN REGIA FRIDERICIANA
die Februar. hijs M DCCXXII anni,

PRÆSIDE

D. JOACHIMO LANGIO,

S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.

ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT


RESPONDENS

CHRISTOPH. TIMOTHEUS Snidel

SCHOENBERGA PALÆO-MARCHICUS, S. THEOL. CULTOR.

by.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.





Locus I. Oecon. L. V. c. VIII. §. IX. & X. p. 516. seqv.



Cce altera, quæ contra hominem afferri potest, accusatio. Ettam si Deus hominem, qui ab ipso se averterat, indignum habere nolit, cui gratiam suam offerat; is nihilominus re ipsa eum suscipere non potest, atque ita actu illa privandus erit: ratio quare ineptus sit, qui eam recipere possit, hec est: quoniam homo re ipsa in indignitate sua & in peccato continuo perseverare decrevit. Ille tenebras suas inclinatusque pravas amat, easque actu amplectitur. Atqui injustum est, ut lumen ac bonum cum tenebris & malo habitent in anima ea, quæ malum amat, idque volens sciensque actu perpetrat. Itaque injustum est hominem servari. Vides hic accusationem alteram, rationesque, quibus illa innititur.

Quæ accusatio a solo DEO & per solam imputationem meriti & justitiae christi perinde, ut prima, dissipari non potest, nisi si homo ipse interveniat & cooperetur. Quodsi enim Deus gratiam bonumque & salutem suam in ea anima habitare velit, quæ tenebras malumque amplexa peccare perget, is peccati seministrum declarabit atque fauorem. Quod fieri nulla ratione potest. Itaque oportet, ut homo suam hic

conferat operam. *Quomodo vero?* primo, ut malum facere desistat: secundo, ut desiderium, intellectum, voluntatemque suam eo dirigat, quo Deus ipsum vocat. *Quo facto,* Deus in ipso divinum quoddam lumen suscitatus est, quod boni cognitionem intellectui, boni amorem voluntatis instillabit: homo vero lumini huic, quæ fides est, resignatus, ejus vigore plenitudini gratia celestiumque divitiarum, animo & voluntate adhaerescet. Hac ratione accusatio altera, quam vidi-
mus, evanescet: ubi Deus hominem his verbis justificare poterit:

Etiam si homo, postquam indignitatem ejus dissimulaveram, re ipsa ineptus manserit, qui bono fruatur, malum quippe amore ac factis suis postea amplexus; nibilominus tamen, quoniam mibi dicto deinde audiens esse coepit, & a malo, quod ipsi monstraveram, desistit, desideriumque suum ab eo separavit, locum ita faciens divino numini fidei meæ, ut id magis magisque in ipso operetur, ac malo extirpato boni semperterni amorem ipsi ingeneret; declaro, quod, remissis propter justum meritum Filii mei peccatis ejus omnibus, quæ antea, quam mibi aures daret, admisit, aptum eum agnoscam, qui vita æterna, aut infiniti boni plenitudine, frui posset, propter vivam ejus fidem, quandoquidem desiderium, intellectum & cor suum a malo revocans, ad bonum ea, hoc est, ad Deum ipsum reflexit, qui Deus, quod lumen, quod bonum hominem, in quo operari cœpit, siquidem perseveret, certo certius servare potest. Vides hic absolutionem, seu justificationem, qua accusationem alteram enervat, & in qua nonnulla erunt observanda.

Disquisitio hujus loci.

1. De prima accusationis specie, in exprobatione indignitatis posita, actum est Dissert. antecedenti: ubi simul

DISSERTATIO DECIMA.

5

mul ostensa est *vo^gea prima*, quam auctor doctissimus statuit, *justificationis*, secundum quam Deus, ex ipsius sententia, indignitatem illam non respiciat, sed homini gratiam suam conferre paratus sit.

2. *Accusationi secundæ secunda* convenit *justificatio*, uti res *ficta* rei *ficta*, fictione alia aliam pariente. Unde utraque eadem facilitate, qua, sensu ad veri nominis *justificationem* relato, adstruitur, etiam negatur.

3. Durum sane est de *accusatione adverbia* in *scopienda gratia dicere*, *eam a solo Deo & per solam imputationem meriti & justitiae Christi disspari non posse*.

4. Ista vero interventionis & cooperationis conditione, unde a parte hominis imputandi meriti & justitiae Christi efficacia, ad *accusationis* istius dissipationem, suspenditur, manifestam prodit *confusionem doctrinæ de conversione* cum ea de *justificatione*. Sed cum auctor noster inter utramque nullum agnoscat discrimen, ideo nec *confusionem* istam agnoscere potuit. Et in quantum interventionem & cooperationem hominis talem intelligit, qualem alias statuit, & quæ *Dissertat. III. hujus Dodecad.* discussa est, naturalismum suum rursus prodit.

5. Et quamvis hic *imputationis, meriti & justitiae* de-nuo fiat mentio; ne hilum tamen sani sensus verbis istis subest, uti res ipsa ostendit, secundum integrum Poiretiani sermonis contextum considerata.

6. Ista vero *secundæ justificationis formula*, pluribus verbis concepta, quam crassum ac meritorium prodat pharisaicum ac papicum, quis non vider? Quorsum inter alia pertinet locutio: *propter vivam ejus fidem &c.* Cum in veri nominis *justificatione* fides non con-

A 3

fide-

sideretur ut opus, propter quod aditus detur ad salutem, sed ut instrumentum λητρινού, quod salutem a Christo partam & donatam apprehendat: ut supra Dissert. V. & VI. evictum est. Justificamur enim non propter, sed per fidem. Videamus nunc, quænam Auctor in ista sua absolutione, seu justificatione altera, præterea observari velit.

Locus II. §. XI.

Principio, hanc justificationis speciem, hoc in gradu, ad salutis possessionem viam proximam nondum patefacere, a qua hactenus non parum abest. Ut enim homo iste ad DEUM per fidem conversus sit, peccati tamen fundum in se adhuc circumfert, cuius actus interrupit quidem, ita tamen, ut pravorum habituum torrente abrepitus, ad eos non raro incautus & infirmus recurrat. Nihilominus si quis ita constitutus e vita decedat, is æternæ morte minime peribit, sed salute potetur simul ac eam, quam precedentí capite tractavimus, purificationem confecerit, quam experiri oportet, ut justificatione proxima & absoluta, de qua statim dicitur, frui possit.

Disquisitio hujus loci.

Auctorem eadem erroris chorda oberrare & justificationem cum renovatione, quam tamen ipsam quoque corrupte tradit, confundere, nemo non videt. Unde uberiori hic discussionis opera supersedeo.

Locus III. §. XII.

Deinde notandum est, justificationem hanc, qua Deus hominem numero eorum, qui vita æterna compates fieri posunt, re ipsa accenset, ab homine ipso, uti fere sit, nulla certi-

titudine cognosci, quoniam homo imperfectionibus suis & defectibus plurimis, que in eo supersunt, impeditur, ne operationem DEIclare videat & sentiat. Itaque mala potius experitur sua ac tenebras, veritus ne damnationem incurrat miser. Adde, quod nondum consuetudine satis firma bono totus adhucere, aut ab omni malo abhorreat, neque in fundo suo purificatus sit, atque ita salutis suae certa cognitio ipse fore exitio, presumptionem, securitatem & fastum animo ejus instillatura, affectusque innumeros nondum mortuos excitatur. Vere etiam fieri non potest, ut salutem fratrem adhuc alter prospiciat, quam longe a se distantem multaque periculis & precipitiis interpolata separatam, ad qua contremisit merito; quippe qui, nisi diligenter caveat, ruere illuc aeternumque perire potest.

Disquisitio hujus loci.

1. Ut alias non raro, ita hic etiam Auctor noster papizat, quando negat, justificationem ulla certitudine ab homine ipso cognosci posse. Id quod uti quidem verissimum est de falla, quam ipse comminiscitur, justificatione, & de secunda ejus specie; sic falsum est de vera & genuina: quemadmodum vel e solis locis epistole ad Romanos c. V, 1. seqq. VIII, 31. seqq. abunde liquet, ipsa justificatorum experientia, si a tentatis discesseris, hanc veritatem comprobante.

2. Re autem vera Auctorem nostrum, sub titulo *justificatione de renovatione agere*, manifestum est; sed item quam corruptissime ipsum hoc facere, iis, qui in renovationis negotio versantur, omni salutis suae plerophoria ademta, inde derivandum est, quod genuini nominis justificationem, quæ plerophoria istius fons est præci-

præcipius, penitus negat & ex universo orbe christiano, quantum in ipso est, it eliminatum.

Locus IV. §. XIII.

Itaque, quod tertio observandum est, Justificatio hæc homini non tam certitudinem ingenerat, quam spem addit, animique alacritatem & vigorem imperterritum, a timore tamen & incertitudine non penitus alienum. Videlicet non ignorat, bona se voluntate ferri, malum odisse, bonum amare, Deumque gratiam suam offerre, qua omnia superævi possint; neque illam a DEO usquam subtrahendam esse: verum & propriæ suæ imbecillitatæ atque ignaviæ conscius est multis experimentis factis; novisque quod fundum earum ac immensitatem rite nondum perspexerit; veritus ne illis prorumpentibus in abyssum abripiatur. Imo vero innumeris se se malū circumcingi & obsonderi videt; atque ita jure timet, ne in iis maneat & pereat. Vides hic, quo usque salutis suæ certus esse possit, dum hoc in statu constitutus est,

Neque est cur cum quibusdam tam obstinate illudamus iis, qui salutem incertam esse dicunt, etiam in iis, qui veram fidem fuerunt adepti. Profecto ista talia sunt, quæ in tironibus una consistere, imo & in profectoribus legitime possint. Quod experientia docebit eos, qui ad hunc gradum proiecti erunt.

Disquisitio hujus loci.

1. Paulo ante Auctor diverat, *justificationem nulla certitudine cognosci*. Hic vero fui immemor scribit, *justificatum a timore & certitudine non penitus alienam*. Sed quidquid largiatur, commentitia sunt omnia, utpote tradita de eo salutis ordine, quem, a doctrinæ apostolicæ hypothesi abhorrentem, theologia pseudomystica confinxit.

2. Poste-

2. Posteriore loci allegati parte Pontificiorum fluctuationi aperte quidem patrocinatur vir doctissimus; sed aliquanto tamen timidius, a nomine ipsorum abstinens, Evangelicorum vero elenchum, isti oppositum, obstinatam illusionem vocans. Non mirum est, in fluctuatione convenire eos, qui in plerophoriae evangelicae causa, quæ in forensi justificatione est, negata convenient. Verum enim vero exigua hæc est theologia Poiretianæ commendatio, quam illa in fluctuationis experientia, ad quam provocari videmus, habere dicitur.

Locus V. §. XIV.

Vereor admodum, ne plerique, & forte singuli eorum, qui se salutis sue certos esse, neque illum de illa sibi dubium superesse tam audacter jactant, (nisi ex iis sint, de quibus numero subsequenti agetur, qui hodie rarissimi) illusionibus satanæ sint occæcati, ita ut ne mica quidem veræ fidei in eis adhuc adsit, quando tamen vetus ipsorum homo, quantus quantum est, superstes adhuc ac vegetus, inani ea persuasione vult laborari, quod imaginarie persuasionis sue vi in cælum tendat, dum revera equis velisque ad Stygii antra draconis deducitur. Vetus noster homo ejus est indolis, ut tristitiam, dolores, infernum, incertitudinemque nimic pere aversetur; ac nihil aequem amet, quam ut Paradisus sibi, gratiaque & salus plene ac sine ulla hesitatione promittantur. Hinc sicubi vector aliquis infernalis, & animarum (uti videri vult) ductor ei occurrat, qui venusto sermone, eoq; bene meditato, & Scripturæ verbis rite deaurato, promittere ipsi novit, quod in Paradisum sit eum pervecturus, modo duci se ab eo patiatur; fore ita ut de eo jam nunc securus possit esse, modo hoc, vel illud observet; si proutus cæci illius vectioni sese committit miser; tum etiam ridi-

cule insultat omnibus iis, qui non in eadem secum sunt securitate, ab omni dubitatione omnino alienus, donec in Tartarum se precipitatum inveniat, ubi itidem non erit cur dubitare amplius possit. Nolo equidem (quod sancte testor,) vere fidelium spem per ista inanem reddere; verum talem eam exhibere conor, qualis vere est, & qualem eam in publicano observamus, qui hoc sensu, de quo jam loquimur, justificatus erat. Christus ipse docet, quod in sua hac justificatione in timore ac terrore versabatur, humili tamen fiducia in DEUM, cuius opem implorabat, subnixus: quapropter oculos in terram demittens, pectus percuit; & ad interiora templi penetrare non audens, portae adstat, ibique in corde suo clamat: *Luc. XVIII, 13.* DEUS propitius esto mihi peccatori. Ubi Christus ait, quod justificatus domum redierit: non dicit, eum domum redisse ab omni jam timore liberum, & de salute sua penitus certissimum, & ab omni hesitatione alienum. Fortasse virum pium (si quidem rei gestæ his toriam, non parabolam Christus exposuit) ea res magis adhuc dubium habebat & inquietum, quam antea: attamen etiam si suis sibi oculi videretur damnatus, coram DEO & divina ejus voluntatis decreto justificatus erat, ea ratione, qua dicimus, DEUM justificare eos, qui ad hunc statum promoti sunt.

Disquisitio hujus loci.

I. Author noster illam justificationis Evangelicæ, a se impugnatæ, proprietatem, quam in adjuncto plerophoriae de salute nostra fructu habet, cum veri etique specie negaturus, & imperitis invisam, immo detestabilem, redditurus, rursus configuit ad consuetum praesidium suum, hoc est, ad indignissimum sophisma, quo, quæ homines Epicurei & cœci ipsorum ductores de salutis

fux

DISSERTATIO DECIMA.

suæ certitudine somniant garriuntque, tanquam *dogma* *Evangelicorum* allegat, hac ratione ipsam veritatem e-vangelicam, inæstimabile illud de plerophoria salutis cimelium quod everi nominis justificatione redundat, false explodens. Qui disputandi modus quid in Auctore nostro prodat, ipsi æstimatores ejus inconsulti viderint.

2. Negat quidem vir clarissimus, sc. vere fidelium spem in æm reddere: sed protestationem hanc factò omnino contrariam esse, et si se sancte testari adseveret, quis non observat? Nam evangelicam genuinæ spei & certitudinis fontem non solum turbidum reddit, sed plane obturat, dum veri nominis justificationem simpliciter negat, eique substituit falsam, quæ tota, quanta est, est sceptica, aut potius plane nulla, seu ejusmodi non ens, quod Scriptura sacra plane ignorat, nec ulla anima in ordine salutis vero sensu experitur.

3. *Publicanum istum*, cuius mentionem honorificam Lucas c. XVIII. facit, hoc sensu, de quo Poiretus logitur, suisse justificatum, falsissimum est. Versabatur is quidem in vera & seria animi contritione; sed non minore etiam prædictus erat fide, & quidem justificante, non qualem Poiretus fingit, supra Dissert. VIII. in *νοθείᾳ* sua detectam, sed qualem objectum *ἱλασμὸν*, in sanguine Christi typico propositum requirebat, verbo *ἱλάσθη* haud obfure indicatam. Qua de re qui adhuc vel tantillum dubitat, adeat quæsio, quæ Dodecadis prioris Dissert. V. & VI. de satisfactione typica longa XXXII. argumentorum serie demonstrata sunt. Falsum itaque est, publicanum non meliorem habuisse spem & plerophoriam suæ salutis, quam qualem Poiretus justificatis suis tribuit.

4. Et quanta non est audacia, sine ullo fundamento, immo sine indicio ullo, de isto sic pronunciarē: *Fortasse virum pium ea res magis adhuc dubium habebat, quam antea, u. s. l.* Scilicet ne publicani exemplum falso isti Poiretianæ doctrinæ typo posset opponi, illud ipsum ita pro isto allegat, ut simul penitus enervet.

Locus VI. §. XV.

In secunda hac justificatione non difficulter videre est, quare ratione hominū demeritum ratione sive, quibus innitebatur accusatio, sublata sint per fidem & per merita ac justitiam Christi [que in incarnatione, vita & morte, itemque post ascensionem ipsius corroborata semper & amplificata fuerunt.] Dum enim homo per fidem suam a tenebris pertrahitur ad lumen & eternitatem, DEUS in gratiam Christi, cuius intercessio omniaque que pro concilianda gratia iuste praestitit, rata haberi merentur, hominem, utur peccaverii, & etiam nunc sit infirmus, eque aptum censet, qui ad salutem proverbi posset, & eque in statu gratia possum, ac si nunquam peccasset: Aut ac si peccasset quidem, at DEO obtulisset ipse intercessionem non minus meritoriam & dignam ea, quam Christus Jesus interposuit. Fides hic imputacionem meriti & justitiae Christi, quatenus ad hunc articulum pertinet. DEVS etiam fidem ipsi suam imputat ad justitiam, hoc est, cum homo desiderium, intellectum & cor suum a malo aversa ad bonum, quoad ptest, convertat, utur infirmitatibus, quibus liberari cpiat, undiquaque sit adhuc involutus, Deus nihilominus fidem hanc absolutam & resignatam censet validam & idoneam, que conditioni illi justæ, que necessaria erat, ut homo grata dignus fieret, satisfaciat.

Disqui-

Disquisitio hujus loci.

1. Auctor hic quidem vocibus ab officio Christi sacerdotali desuntis, & ad justificationis negotium pertinentibus, utitur liberius, sed sensu corruptissimo; quemadmodum quam manifestissime indicat res ipsa, seu falsissima ipsius hypothesis doctrinæ de justificatione haec tenus considerata. Idem vero productis excusisque ejus locis pluribus ex instituto demonstratum est *Dodecad. prioria* Dissertat. V. VI. X. XI. XII.

2. Et hunc ipsum vocum istarum sensum, a vero alienissimum, hic ipse locus aperte prodit. Nam fidem in eo non urget ut instrumentum λητιανὸν, seu ut organum, partam & imputabilem Christi justitiam apprehendens, sed ut medium conversionis & renovations, quo homo a tenebris ad lucem pertrahatur.

3. Qui falsus & fallacissimus sensus eo hic est manifestior, quo expressius auctor scribit: *Deus fidem ipsi suam imputat ad justitiam, hoc est, cum homo per desiderium, intellectum & cor suum a malo aveisa ad bonum, quoad potest, convertat, - - Deus fidem hanc censet validam & idoneam, que conditioni illi justæ, que necessaria erat, ut homo gratia dignus fieret, faciat.* Quid hoc est aliud, quam fidem non ut instrumentum meriti Christi λητιανὸν, sed ut bonum opus requirere? Et hunc ipsum sensum expressatus supra §. X. auctor adhibuit locutionem *proper fidem.* Quæ cum ita sint, meritis & indignissimus est lulus in locutionibus de imputatione meriti & justitiae Christi, cum ipsius evangelii corruptione conjunctus.

Locus VII. §. XVI.

Observeamus tamen, & quidem id diligenter obseruemus,

B 3

ne

ne quis nos error decipiatur, justificationem hanc atque imputationem meriti atque iustitiae Christi, hominem a pena peccati non absolvere, neque eum haecenus aptum reddere, aut dignum, seu proxime idoneum, qui salute statim positur, neque etiam de pace suo cerium; a qua longe adhuc abest eo in statu, qui plurimas preterea viciſſitudines pati potest. Hic autem homo si actu fidei efformet, eos augeat & iis immoratur, non peribit equidem; at servabitur, verum post purificationem confitam: si actibus his fidei interrupitis letali peccato se polluat, desiderio suo, intellectu ac cordis, que Deus non sunt, denuo adhaerens, & actibus hisce pravis immoriatur (ut, eheu, non raro evenit,) eterna ruina perit: at si in vita superflues, a malo resurgat, & ad primam suam fidem redeat, in eaque perseveret, internam adhuc purificationem hac in vita ingredi poterit, & ex bac porro promoveri ad justificationem veram & propriam sic dictam, quae hominem tranquillum reddit, & vita eterna proxime ac immediate capacem. De qua justificatione Apostolus loquitur in capitibus 3. 4. 5. 6. 7. & 8. epistole ad Romanos, ad quam nos iam transibimus.

Disquisitio hujus loci.

I. Ea novum papistimi documentum in theologia Poireti pseudomystical novum depravati dogmatis de justificatione specimen! Negat auctor, hominem per justificationem, quam tradit, & per imputationem, meriti ac iustitiae Christi a pena peccati absolvi. Et hoc ipsum effatum ita vult observari, ut diligenter observetur, ne quis nos error decipiatur. Vide, quam operofus ac sedulus sit in mente lectorum adversus veritatem evangelicam obsfirmando. Sed negata istius a pena immunitatis ratio

ratio est in promtu, nimirum in ipsa justificationis & imputationis, qualem auctor statuit & tantopere exornat, falsitate. Non entis enim nullas esse affectiones, nemo nescit.

2. Et de hoc ipso justificationis commento Paulum agere in epistola ad Romanos, speciatim cap. 3. & 4. a vero abhorret. Contrarium evici supra in hujus posterioris Dodecadis Dissertat. V. Reliqua hujus allegati Poiretiani loci momenta, de purificatione repetita, ut denuo excutiam, supervacaneum est. Pergo itaque cum ipso a secunda ad tertiam, quam comminiscitur, *justificationis speciem*, de eaque in antecessum moneo, eam non posse non esse *αὐτοφόρον*, immo *αὐτίγραφον*; & quidem ex ipsa auctoris hypothesi, adversus ipsum applicata. Nam is supponit, in epistola ad Romanos agi de secunda sua justificationis specie. Jam vero, universa Scriptura sacra nullam aliam agnoscit traditque justificationem, quam illam ipsam a Paulo in hac epistola ex instituto tractatam: id quod mihi ab omnibus illis, qui a Poiretianæ auctoritatis præjudicio absunt, datum iri, plane confido. Ergo, secundum ipsam Auctoris hypothesisin istam, ipsius justificatio speciei tertiae merum est commentum, e corrupto renovationis dogmate conflatum.

Locus VIII. §. XVII. & XVIII.

Sumamus igitur hominem, cuius res eo jam loco reducuntur, quo eas vidimus habentes, quique jam immediatam vitæ aeternæ possessionem deposcere velit, aut jus saltem atque dignitatem sibi competere putet, ut protinus in eam introduci debeat, si quidem hoc in statu decedat. Quid vero de eo futurum

rum erit, si Deus, si conscientia, si denique Satanas hanc accusationem contra eum instituat: Quamvis iste desiderium, intellectum & cor suum vere a malo perpetrando revocaverit, & ad Deum re ipsa transfulerit; nihilominus actus isti tam debiles adhuc sunt, tam parum constantes, ac totes interrupti, ut nullius fere sint momenti; nedum ut habitus roburatos firmosque sibi comparaverit, quorum fiducia thesaurus salutis tuto ipsis committi queat; quin potius fundus ejus a malis adhuc inclinationibus, a tenebris & radicibus vitiorum inveteratorum totus occupatur, que nonnunquam incautus regerminare sinit. Nondum, sicuti debebat, vel se ipsum, vel Deum, vel bonum, vel malum funditus intelligit: neque Deum, aut res æternas, aut proximos suos, uti par erat, amat: neque voluntatem Dei, uti debebat, implet: vetus Adamus nondum mortem in eo appetiit: neque rite se ipsum odisse, sibiique renunciare cœpit, neque radicem pravorum desideriorum, id earumque vitiosarum & inclinationum, quibus ad vilissima quæque & ad se ipsum deprimitur, ex fundo suo extirpat. At qui vero conditiones istæ cum vita æterna nulla ratione consistere possunt: fieri non potest, ut anima, in qua fixæ esse adhuc inherent, æternam vitam recipiat in se & admittat, ita quidem comparata & affecta uti est. Ergo anima ista, ut cunque fide, quæ exigua est, prædicta sit, dono vitaæ æternæ beari non debet.

Accusatio hæc solidissimis argumentis innititur; & fieri omnino non potest, ut homo ab ea absolvatur, & conscientia ejus perfecta tranquillitate conquietat, nisi fundus anime ante per lumen fidei penitus fuerit purificatus: quo facto, sequitur justificatio completa, de qua nunc agitur.

Itaque videamus ea, quæ ad hanc justificationem necessaria sunt, quæque pro lubitu vel præparationes ejus, vel vias, vel

vel media, vel partes appellare licebit, prout quisque rei totius ideam longius aut strictius patere volet. Nolimus de verbis rixari; sed res ipsas inficiamus, quarum alia operaciones hominis sint oporet, aliae vero gratiae DEI infusæ & inhaerentes, quas quidem divina absoluto subsequitur.

Disquisitio hujus loci.

1. Accusatio ista tota, quanta est, quæ §. XVII. proponitur est surculus, qui e negata veri nominis justificatione & ejus confusione cum male intellecta renovatione, tanquam e radice sua, propullulat, operiam Pontificiorum in adeunda salute viam redolens.

2. Nec rectiora sunt, quæ ad accusationis istius illustrationem §. XVIII. proponuntur: quemadmodum inter alia ex mentione *gratiae Dei infusæ expressa liquet*. Gratiae autem infusionem a nobis non negari, sed a justificationis negotio distinctam ad regenerationem & renovationem secundum Scripturam sacram referri, jam saepius dictum est.

Locus IX. §. XIX. & XX.

Principio oportet ut homo omnem omnino operam suam atque industriam serio adhibeat, ut in fide obfimeretur, & ad absolutam ejus perfectionem vigoremque maximum, & supremum quasi vestigium promoveatur; ut quicquid rectum est, id facere conetur; ut, quicquid malum, evitare in dictis, cogitatibus, desideriis & factis suis, verbo, ut universa cordis sui mala a radice extirpare studeat: Deus interim gratiam suam ipsi augebit, ut aliquos progressus faciat, atque ita purificationem activam conficiat: verum ubi ille ulterius progredi aut etiam conquiescere volet, Deus ipsi in fundo cordis sui voraginem quandam infinitam misericordiarum & malorum

C

sibi

fibi hucusque incognitam detecturus est. Quæ mala homo tum conabitur evelere, & radicem eorum extirpare, ut quidem lex jubet: Non concupisces: verum post multa molimina frusta se laborasse videbit: & lex peccati, propensio scilicet & inclinatio ad malum superior in ipso erit lege DEI propter fundi sui adhuc carnis infirmitatem. Itaque ubi omnibus, quæ poterat, tentatis voti compos fieri non poterit, omni, quam in sece habebat, sive rejecta, iustitie se & voluntati Dei resgnabit, ut ipse de se faciat quicquid voluerit, subscribens condemnationi sue in hac accusatione, cuius fundamentum est, quod radix mali in ipso adhuc superst.

Tum Deus magna quadam gratia sue infusione facta, animam hanc investiens, spiritum Jesu Christi vivum in ipsa renovat, qui spiritus accusationis ejus fundamenta reapse tollit: Is enim animæ imprimet, atque in ea resuscitat & efficaciter restituit legem suam divinam ac vivam, ejusque principia & propensiones, fideique, charitatis & integritatis actus: is ex ea extirpat, quæ lex DEI extirpanda jubet, inclinationem scilicet & radicem mali, & concupiscentiam maxime inveteratam; (quæ purificatio passiva est, de qua supra actum est.) Hacque ratione lex Dei impletur per Spiritum fidei Jesu Christi, Rom. III, 31. aut per Spiritum Jesu Christi, secundum verba illa apostoli vere admiranda Rom. VIII, 2, 3, 4 &c. Lex (principia viæ & actus) Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege (a propensionibus inclinacionibus & habitibus) peccati & mortis (eo usque adhuc in morte fueramus.) Nam quæ ipsi facere non poteramus per legem (quæ Deus jubebat) lege impotente facta propter constitutionem carnalem, infirmam & corruptam fundi hominis; Deus (qui propter peccatum filium suum misit in carne simili carnis peccatrice) ea fecit, peccatum-

tumque condemnavit, & radicitus extinxit in carne, in fundo animæ carnali & infimo, ut ea, quæ lex Dei a nobis jure exigit, in nobis impleantur, qui deinceps non amplius secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum Dei.

Disquisitio hujus loci.

1. Nervum Poiretianæ justificationis omnem esse in præpostera renovationis inculcatione, etiam ex hoc loco est liquidissimum, ubi §. XIX. fidem denuo urget ut *opus bonum*, ejus perfectionem exigens, & accusacionis ac damnationis fundamentum in peccati inhærentis *reliquiis*, ante absolutionem penitus extirpandis, ponens. Atque ita evangelium Poireti, si ad vivum excutiatur, nihil est, nisi mera lex, secundum quam is demum, qui absolute perfectus & a peccatis immunis est, pro justo declaratur.

2. Hanc vero legis doctrinam auctor perpetuo commisces cum ea evangelicæ doctrinæ parte, secundum quam in ordine regenerationis & renovationis *gratia infusio* traditur. Et hanc is urget §. XIX. hac ratione inhærens suæ hypothesi de statu peccati, quod is, *negata culpa, negatoque reatu*, tantum in peccati *inharentis* labe, per gratiæ evangelicæ infusionem expurganda, consistat. Unde Deus, hanc expurgationem ratam habens, hominem ex hypothesi Poiretiana *justificare* dicitur. Qua ratione lector Poiretianæ doctrinæ ideam habet.

3. Locum Pauli Rom. VIII, i. seqq. illi c. III, 22. seqq. non obstat, res ipsa indicat, & utriusque loci concordans *θιοπνευστα* confirmat. Verba κατέκρινε τὸν αὐτόν
τινα ἐν τῇ σαρκὶ, condemnavit peccatum in carne, non expli-

plicanda esse per radicitus extinxit in fundo animæ carna-
li & infirmo, manifestum est. Etenim si de hominibus
justificatis hoc intelligit Poiretus, ubinam sunt isti, aut
tempore Pauli fuerunt, de quo hoc affirmari potuerit?
Certe fuisse neminem, ipsum Pauli, utpote talia de se
ipso nequaquam perhibentis, exemplum evincit. Quod
si vero verba ista de Christo ipso accipiat, falsissimam
suam & Christo longe indignissimam hypothesin de
peccati labore, ipsi inhærente, & ab ipso per infinitam lu-
ctam, ad sudorem sanguineum usque progredientem,
expurgata ac exuta prodit. De quo doctrinæ porten-
to vide supra Dodecadis prioris Dissertat. XI. De Chri-
sto ipso quidem hic locus quam rectissime accipitur,
sed *damnationis* verbo proprie accepto de isto judicio,
quod Christo ob suscepsum peccati reatum irrogati-
one pœnæ vicaria illatum est, & eo quidem cum ef-
fectu, ut de iis, qui justitiam Christi hac ratione par-
tam vera fide apprehendunt, dici possit secundum v. 1.
nulla igitur condemnatio iis, qui in Christo sunt, & qui hoc
ipsum, quod per veram fidem in Christo sint, docu-
mento vitæ, ad ductum Spiritus S. institutæ, compro-
bant.

Locus X. §. XXI.

Homo eo progressus vere justus est justitia infusa &
inhærente per fidem & charitatem. Quæ justitia necessa-
rio in ipso inesse debet, antequam Deus sua declaratione i-
psum justificare, atque ita animum ejus tranquillum reddere
possit. Quandoquidem enim, dum in tenebris purificationis
versaretur, se ipsum ignorabat, videns jam accusari se, licet
nescius quomodo, jam vero malis quibusdam subito se cir-
cum-

cum sacerdoti arque adeo penetrari, quæ tamen a se aliena cre-
diderat, præterquam quod certius sit, ex scripture verbis, cor
hominis fallax esse Prov. XVII, 9. idque non nisi a solo Deo
cognosci posse; itemque Prov. XVI, 25. esse vias, quæ ho-
minibus rectæ videantur, quarum tamen exitus ad
mortem deferantur; non uno nomine didicit proprio ju-
dicio de se deque statu suo penitus diffidere, sibique justitiam
pacemque non promittere. Que res efficit, ut nisi spiritus
sancti testimonium eas ipsi afferat, animus nequeat conque-
scere. Et profecto, testimonia cetera quæcumque neque pa-
cem ipsi reddere possunt, neque efficere, ut de justitia sua cer-
tus sit. Hoc autem spiritus Dei facit divino suo lumine in-
terno, morumque quodam, qui non nisi a solo Deo in animæ
fundo excitari potest: ipsa vero pura jam, & in lumine
habitans, rebusque omnibus, que Deus non sunt, vacua scien-
tia infallibili, in quam nihil possint præstigie ullæ, non sine
ineffabili gaudio percipit tunc veritatem divini hujus verbi:
Ecce, tota pulchra es, amica mea, & macula non est
in te. Cant. IV, 7. Ita gravissimo se pondere, sub quo ge-
muerat, se liberari sentit, idque veluti in profundum
maris projici vider. Mich. VII, 19. Peccatorum idea in-
grata, memoriaque iniquitatum terrifica, tristisque evane-
scunt veluti nubes, Jes. XLIV, 22. & diffugiunt ira, ut
animam deinceps non amplius conturbent. Si quorum fun-
dus penitissime nondum purgatus est, ii eo usque promoveri
non possunt. Possent quidem corruptionis suæ, quæ in ipsis
restat, blandientes motus pro divinæ justificationis decla-
rationibus interpretari & amplecti: sed hac delusionum ori-
go est.

Disquisitio hujus loci.

1. Qualem *justitiam* Auctor pro *justificationis* fieri
C 3 vo

vo constituat, nimirum *infusam & inherentem*, hic de-
nuo ipsum habemus quam apertissime confitentem.
Unde quando passim simul videri vult a *sensu* justificationis *forensi* non discedere, merum illud est sophisma,
merus lufus, viro docto & pio indignus, & ab apo-
stolica sanctorum verborum hypothesi plane abhorrens:
quemadmodum *Dissert. V.* hujus posterioris *Dodecadis* in-
tegro argumentorum agmine demonstravi.

2. Observet lector hic præterea, quid Auctori no-
stro sit *justificare*, nimirum *animum hominis tranquillum*
reddere: qua ratione justificationis *effectus & sensus* cum
forma ejus confunditur. Et istam animi tranquillatio-
nem porro declarat per *Spiritus Sancti testimonium*, justi-
tiam & pacem infusam adversus dubitationis sensum
homi afferens.

3. Locum Cant. IV, 7. de justificatione, qualem
Poiretus fingit, non agere, ex eo liquet, quod illa to-
ta, quanta est, est $\alpha\gamma\epsilon\alpha\phi\Theta$ & $\alpha\tau\iota\gamma\rho\alpha\phi\Theta$.

4. Locum Michæ VII, 18. 19. de peccatorum remis-
sione, ad culpam relata, expurgatione tamen eorum
non negata, agere, manifesta totius textus littera in-
dicat; & sic, non aliter hunc locum intelligendum es-
se, inter alia e *Dissertatione V.* Dodec. posterioris,
speciatim e pagina ejus 39 seqv. liquet. Immo ipsa lo-
cationum proprietas sensum alium haud admittit, quan-
do peccata dicuntur non *expurgari* (quod quidem alias
non negatur, & hic etiam supponitur) sed *remitti*, Deo
ista sine vindicta prætereunte, a vindicta ista receden-
te, & ab eo, subacto, seu a contritis demto, dominio
agnita ratione reatus in *profundum maris projici*. Eadem
est ratio loci Jes. XLIV, 22. phraseologie istiusempha-
si ad

si ad officium Christi sacerdotale, cuius centrum quasi erat *satisfactio* vicaria, relato.

Locus XI. p. 523. §. XXII.

cuius novæ tractationis hæc est inscriptio:

Justificationis verae expositio, & particulares ejus circumstantiae, difficultatesque, quæ de ea occurunt.

Hæc declaratio, uti in initio hujus capitii dixi, vera proprie est & dici debet JVSTIFICATIO, quam opponit Deus accusationi, quæ aliqui tolli non poterat; fundamen-tum siquidem ejus sit corrupcio inherens & intima fundi hominii, qui p̄fissis adhuc tenebris obsidetur, & a peccati ra-dicibus occupatur: Quæ constitutio non tantum cum eterna vita, sed & cum tranquillitate & pace consistere neguit; homo namque cum se ipse eo tempore non cognoscat, suo de-sese judicio stare & conquescerre non potest. Ista ergo non nisi ea, quam tradidimus, ratione dissipabuntur, per declarationem scilicet spiritus sancti, in anima quasi prouinciantis: Ego de-claro, accusationem hanc validam quondam & veram, nunc nullam esse & omnino falsam esse: animamque hanc in fun-do intimo usque ab omnibus peccati radicibus & proclivita-tibus penitissime esse purificatam; nihil in ea superesse, quod condemnari possit; principia potius recti ac virtutis vivere in ea jam & vigere, neque permettere, ut a tramite recto aber-rent ulli motus cordis, in quo nihil restat, nisi quod justum est Deoque gratum, nihil non dignum vita eterna, ejusque plenitudine, lumine denique & gaudiis infinitis, quæ Jesus Christus sua intercessione, vita & morte omnibusque, quæ pre-fit, homini meruit.

Disqui-

Disquisitio hujus loci.

1. In hac pro vera habita justificationis expositio-
ne nihil fere occurrit, quod non ex præcedentibus re-
petitum sit: quemadmodum id est, quod justificatio
vera & proprie dicta sit declaratio, quam Deus oppo-
nat accusationi, non de peccati culpa & reatu, remis-
sionem requirente, sed de corruptione ejus inhærente.

2. Ejusdem generis est illa declarationis formula,
quam pluribus verbis expressam videoas. Nam pro
fundamento habet, non lytrum Salvatoris, fide appre-
hensum, sed ejusmodi purificationem, per quam omnes
peccati radices ab intimo animæ recesserint, adeo ut ni-
hil super sit, quod condemnari possit, & nihil in animo re-
stet, nisi quod justum Deoque gratum & via eterna dignum
sit. Inter quos justificatos an ipse Author nomen suum
professus fit, equidem nescio; in eorum autem
numero ipsum haud fuisse, eo scio certius, quo evi-
dentiis est atque exploratus, universum istud justifica-
torum genus esse utopicum.

3. Repetita intercessio Christi mentio nihil est,
nisi fucus, identidem jam detectus.

Locus XII. §. XXIII. p. 524.

Hac in justificatione perspicuum est, quare ratione Deus
merita & justitiam Christi, omniaque, que ipse præstit, ubi
Deum inter & hominem intercessorem se pro homine in-
terposuit, vere ac re ipsa non tantum imputet, verum etiam
appliceret: Deus enim tunc perinde agit cum homine, quasi
is peccasset nunquam, & ejusdem semper dignitatis fuisse,
qua Christus pollet, quæque fecit, ut Deus peccatum hominis
dissimularet & præteriret, gratiasque suas universas ei con-
cederet

DISSERTATIO DECIMA.

25

cederet. Patet ibidem, quomodo Deus ipsi fidem suam imputet ad iustitiam: fides enim, quæ animam ab omnibus peccatis suis purificavit, fecit, ut cum doloribus acerbissimis ea admissa deploraret, & infinito arque ardenter desiderio eadem infida vellet, optaretque, nunquam adeo fuisse iustum, ut in Deum peccaret: Deus autem fidem hanc penitentie ac desiderii pro ipsa re acceptat, perinde ac si anima nullam unquam iniquitatem vere admisisset, verum adeo justa semper fuisset, qualiter se fuisse exoptat.

Disquisitio hujus loci.

1. In fuso verborum, a Christi sacerdotio desumptorum, jam sub praecedentis loci finem commemora-
to, hic Auctorem nostrum totum esse, videmus.
Quandoquidem enim negare noluit, Christi sacerdotium justificationis fundamentum continere; id, quod subinde jam attentavit, nunc agit majori cum studio,
nimirum ut locutiones, quæ ad officium Christi sa-
cerdotale ac ejus applicationem pertinent, ad suum
consummate purificationis, seu *renovationis*, dogma, sub
justificationis nomine propositum, inflectat. Quod
quam invito fiat sensu, qui non videt, ille certe in
mysterio salutis nostræ nihil videt. Lectori docili
commendo lectionem Dissertationis V. & VI. item
Dissert. trium ultimarum in Dodecada priore.

2. Falsissimus iste & fallax verborum sensus, qui
imperitis ab Auctore pro vero insinuatur, in hoc ipso
etiam loco fatis manifestus est, quod hic denuo fidem
justificantem, quam Deus ad iustitiam imputet, describit,
ut opus bonum; utpote quæ ipsi animam ab omnibus pecca-

D

tis

tis purificasse dicitur, Deo fidem hanc p̄nitentia ac desiderii pro ipsa re acceptante. Id quod quantum ab apostolice doctrinæ forma abeat, imperitis e collatis Dissertationibus poster. Dodec. VI. & VII. manifestum erit.

3. Prudens vero lector hic etiam non monitus intelligit, me ea, quæ auctor de fidei proprietate & efficacia scribit, per se nequaquam improbare, sed hoc admittere non posse, quod ea, quæ ad negotium p̄nitentia & conversionis pertinent, ad actum fidei iustificantis, quatenus iustificat, formalem referat. Unde rutsus liquet, virum doctissimum istud negotium fidei λητεῖν, quod se in actu justificationis ὀγκωνῶς exserit, plane negare, &, sub notione fidei iustificantis & ipsius justificationis, de fide sanctificante & de ipsa sanctificatione agere. Doleo, imperitos lectores phrasologia biblica sic inescari, ut pro veritate errorem incipi arripiant.

Locus XIII. §. XXIV.

Itaque hæc iustificatio complectitur primo perfectam animæ puritatem, per fidem & spiritum sanctum, qui in eam effusi sunt, ipsamque inhabitant, ei ingeneratam: Secundo imputationem, & quod maius est, applicationem meritorum Christi: Tertio imputationem fidei ad iustitiam: Denique quarto declarationem Dei judiciariam, qua animam illæ puram pronunciat, neque quicquam in ea superesse, quod condemnari possit. Quartum hoc iustificationis actus est formalissimus & complectissimus, quod tamen a reliquis tribus separari non potest, & perfectam purificationem ac peccati aboliti-

abolitionem praecepsisse necessario requirit: non enim nisi qui peccato mortuus est, justificatur & a peccato absolvitur Rom. VI, 7, & quod vivā Dei lex cordis fundo impressa non est, intimisque medullis per spiritum sanctum insculpta, tantisper nulla actu datur liberatio a peccato, nulla ἀφεσις, Hebr. X, 16, 18. nulla etiam declaratio, qua constare queat, peccatum exspirasse; alias enim declaratio ea, non minus atque justificatio, falsa foret & nulla. Mors eam praecedat oportet, eamque vita novae principium & spiritualis quedam resurrecio subsequatur: id quod in vita Christi deumbratum videmus, qui primo mortuus, tum resuscitatus & postea per resurrectionem a mortuis filius Dei declaratus est & agnitus: quæ Paulus ad salutem nostræ negotium ita applicat: traditus est pro peccatis nostris, & in nobis justificationem suscitatus Rom. IV, 25. Eadem in nobis implebuntur, quando vetus noster homo pro peccatis suis cum Christo crucifixus erit & mortuus; Christus vero in nobis per spiritum suum suscitatibus, declararurus demum nos justitiae vivere: tuncque justificati erimus, intelligemusque, quomodo Dominus Jesus Christus propter nostram justificationem resurrexerit.

Disquisitio hujus loci.

1. Quantus hic non est labyrinthus, e falsarum hypothesisum farragine fabricatus! Etenim nihil plane sani in quatuor istis commemoratis justificationis momentis est. Certe primum istud, in perfecta animæ puritate per fidem & spiritum sanctum infusa situm, esse nonens, ipsa Auctorem experientia sua docere potuit.

2. Deinde, cum imputatio justitiae alienæ justificatio-
nis vera forma sit, Auctor fingit imputationem justitiae
eiusmodi proprie & perfecte.

D 2

3. Et

3. Et cum ex parte Dei imputatio & applicatio iustitiae meritorum Christi sit unum idemque, auctor hanc, ut rem majoris momenti, ab ista distinguit: secundo, inquiens, *iustificatio complectitur imputationem, & quod maius est, applicationem meritorum Christi.* De tertii & quarti momenti *vōθēa* jam dictum est sèpius.

4. Nec melioris commatis est, quando eam Dei declarationem, qua animam pronuntiat ad eos puram, ut nihil in ea superfit, quod condemnari possit, vocat *jusificatiōis actū formalissimum & completissimum.* Quis est, qui hic non ipsis quasi manibus contrectet, eo redire hic omnia, ut tota salutis oeconomia evangelica convertatur in legalem, qua Deus non absolvat credentes in Christum, sed perfecte sanctos & perfecte justos, iustitia infusa, atque ita homines non ex evangelio, sed ex lege iustificet? Nonne vero hoc novum plane Evangelium est?

5. Si Paulus τὸ mortuum esse peccato Rom. VI, 7. de absoluta ἀαμαρτνίᾳ, per mortem ejusmodi obtenta, intellexisset, Christianos Romanenses nequam pro vere iustificatis potuisset habere; utpote in quibus peccati reliquias omnino adhuc supponit, ideo exigens, ut fideles illis obsequium haud præsent, sed eas magis magisque expurgent. c. VI. & VIII. Manifesta itaque est istius loci παρεργενεία: ut reliqua præteream.

6. Manifesta etiam est detorsio loci Hebr. X, 16. 18. quasi is iustificationi Poiretiana patrocinetur. Utinam istum auctor considerasset in integro contextu suo, jam inde a capitis noni initio, certe in tantam doctrinæ τερατολογίā non fuisset prolapsus. Commen-
tarii

tarii instar in illum sunt, quæ *Dodec. prioris* Dissertat. V. VI & VII. de *expiatione typica & antitypica* dicta sunt. Paulus sane in loco isto conversionem, seu renovationem cum justificatione non confundit, multo minus hac negata istam solam inculcat, sed utrumque gratiæ beneficium, sanctificationis & justificationis, arctissime conjungit. Nam quemadmodum verbis de *lege cordibus inscribenda* beneficium sanctificationis exprimit, sic expressa mentione de peccatorum & injustitiæ nostræ recordatione abjicienda, & de peccatorum remissione parta, justificationem, quæ naturæ forensis est, omnino commendat. Nec quidquam obstat, quod Paulus seriem verborum Jeremiæ secutus, mentionem gratiæ sanctificantis mentioni gratiæ justificantis ordine naturæ præmittat. Hoc enim est, quod ecclesia Evangelica ipsa urget, scilicet justificationem locum haud habere, nisi apud illos, qui gratiæ sanctificanti in ordine penitentie & regenerationis locum relinquant. Aliud itaque est, justificationem cum sanctificatione ita conjungere, ut, cum tempore fiant simul, hæc ordine naturæ primum commoremur: aliud justificationem sanctificationi ratione ipsius temporis ita postponere, ut non solum pro sanctificatione inchoata intelligatur perfecta & consummata, sed justificatio etiam genuinam sensus forensis significationem planè amittat. Itstud est Pauli, hoc Poireti. Ego Paulum sequor; sequatur Poiretum suo periculo, cuicunque ipsius auctoritas Paulina re ipsa est major, quidquid neget.

7. Nec quidquam Auctorem doctissimum juvat mortis & vitæ spiritualis commendatio. Eo enim minus

D 3

illa

illa erroris Poiretiani incrustationi convenit, quo magis Christiani γνῶσης evangelici regenerationem ad justificationis ordinem, in quo haec locum habeat, requirunt, docentque, quomodo ipsa etiam justificatio sanctimoniz studium & praxis promoveat. Vide Dissert. Dodec. prioris I. item Dodecad. poster. Dissert. IV. VI. & VII.

8. Ad locum Rom. IV, 25. quod attinet, sensum ejus genuinum pervertit auctor, uti reliquorum ejusmodi locorum omnium. Certe enim Paulus hoc loco non aliam intelligit justificationem, quam eam ipsam, cuius tractatio capite III. & IV. praecesit. Jam vero haec forensis est, & in mera iustitia Christi imputatione & nostræ injustitiae non imputatione, seu peccatorum remissione, consistit; quemadmodum longa argumentorum serie in Dodec. posterioris Dissertatione V. demonstravi. Ergo etiam ejusdem naturæ est haec ipsa justificatio, quam epiphonemate quodam sub capitio IV. finem commendat. Quæ cum ita sint, per se concidunt, quæ auctor de vita Christi adumbratione & ejusdem applicatione minus recte tradit. Certe genuini nominis justificatio mortem & vitam Christi cum digna utriusque applicatione habet pro cimelio suo, & unum beneficium ita collocat justificatus, ut etiam altero recte fruatur. Ceterum in phras: *vetus nosser homo pro peccatis suis cum Christo crucifixus erit, manifesta est ἀκυρολογία, aut, si magis, Aucto- ris error.*

PRÆ-

PRÆSES RESPONDENTI

S. P. D.

ID agis, ornatisime Seideli, ut responsione publica doctrinam de justificatione adversus corruptelas Poiretianas consueto in Academiis more defendas. Nec dubito, quin te virum sis praestiturus; quemadmodum doctum, quod habemus, auditorium requirit & expfet. Quando vero notionem gratiae justificantis forensem adversus eam, quam Poiretus in infusione & per eam effectæ ac consummate renovationis benevolæ acceptance & declaratio- ne ponit, tueris, solicite cavebis, ne hæc ipsa opera tua iphi gratia nobis infundenda quidquam deroget. Etenim, quemadmodum idem- tidem monui, gratia infusio a salutis ordine ad eo sejungenda non est, ut semper commendanda
urgen-

urgendaque sit, tanquam summe necessaria;
ut pote sine qua nulla fieri potest salutis a Chri-
sto parte applicatio. Quare ipsis gratie, tibi
jam tum in sacro baptisme infusa, motibus
excitatus omnem dabis operam, ut vas sis di-
gnum, quod, ab impuritate peccati Θ hujs se-
culi vanitate perpurgatum, Deus uberrima
gratiae sue infusione sibi in ecclesia faciat ἐν-
χειρον Θ πολύταξιν. Sic demum explebis
spem nostram Θ respondebis expectationi ve-
nerandi tui Parenris, amici ac fratri� mei in
Domino veterani Θ carissimi. Dabam Halo
Saxon. Mense Febr. MDCCXXII.



73 5225

ULB Halle
002 698 757


3



St

Nb 18

Mt



48

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
DECIMA,
DE
SPECIE SECUN-
DA ET TERTIA
JUSTIFICATIONIS,
QVALEM
*VIR CLARISSIMUS,
PETRUS POIRETUS,
αντιγράφως CONFINXIT:*
QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die Februar. hujus M DCCXXII anni,
PRÆSIDE
D. JOACHIMO LANGIO,
S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.
ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT
RESPONDENS
CHRISTOPH. TIMOTHEUS Seidel
SCHOENBERGA PALÆO-MARCHICUS, S. THEOL CULTOR.
by.
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.